

cipuam defensionis suæ rationem in eo collocans, *Explicationis Apologetica pag. 68.* & sequentibus plusquam centum, ferè usque ad finem operis.

Qui Articulis aduersantur, negant illud ad *saniores doctrinam inductos* referendum ad 5. Articulos; non enim verisimile est Pontificem contra totius Congregationis iudicium, approbationem Articulis dedisse, quos Theologi ad examen deputati ambiguos censuissent, & subdolo consilio excogitatos. Jansenistas verò illos Pontifex esse conversos, siue ad *saniores doctrinam inductos* censuit, ex eo quod obediens se profiterentur Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. contra 5. propositiones: quòd suos Articulos Sedis Apostolicæ iudicio submitterent, polliciti, si quid aliud ab eis Pontifex desideraret, summâ se promptitudine obsecuturos. Si gaudium Pontifici attulissent 5. Articuli tanquam certa indicia *Doctrinae sanioris*, non allegasset solas literas tanquam conversionis testes, sed 5. Articulos, quos præ oculis habebat. Atqui de his nè verbum quidem facit Pontifex. Neque dixisset *sicut accepimus ex literis*, & *ut credimus*, sed ut cognovimus, ut perspeximus ex eorum Fidei professione. Denique si professio illa 5. Articulorum securum reddidisset Pontificem de Jansenistarum conversione, non videtur tam sollicitè monitoris fuisse Episcopos, ut illos urgerent ad damnationem quinque propositionum, acceptarum sensu Jansenii, prout in ejus libro exprimitur.

Præterea quòd, si Pontifex per *saniores doctrinam* intellexisset 5. articulos, errasset iudicio Quesnelli, & omnium ei adhaerentium Jansenistarum iuxta declarationem à Quesnello Articulis annexam. Ait enim Christi Vicarius, Jansenistas, *exemplo vestro* (Episcoporum) *consilio & operâ ad saniores doctrinam inductos*. Declaratio autem Quesnelli asserit, illos eandem semper doctrinam docere, idque professos libris innumeris: illo in primis, cui titulus, *Antonii Arnaldi super illa propositione, Desui Petro gratia, sine qua nihil poterat, Dissertatio Theologica*: Quæ Dissertatio, uti & cæteri qui memorantur, libri, anteriores sunt illâ, à Pontifice creditâ Jansenistarum conversione. Sic falsitatis arguunt Pontificem, credentem eos tunc ad *saniores doctrinam inductos* fuisse, cum & eandem doctrinam semper docuerint, & Articuli illi non arte elicit, non argumentorum vi expressi fuerint, sed ab eis sponte oblata ac pene obruti. Sic & falsò Pontifex gratularetur Episcopis, quasi eorum consilio, & operâ ad *saniores doctrinam inducti* Jansenistæ fuerint.

Supponamus tamen Breve Pontificis respicere etiam Articulos, atque hanc fuisse mentem Sanctissimi, ut propter illos simul, & testatam submissionem Catholicam, cum exclusionem omnis alterius circa 5. propositiones sensûs, judicarentur Janseniani illi Theologi ad *saniores doctrinam inducti*; sola hinc, ni fallar, articulorum approbatio negativa inferenda est; non autem positiva. Ita si Arminianus vel quisunque hoc tempore sectator Pelagii edat professionem Fidei persimilem Molinianæ, testatus se in omnibus sentire cum Romanæ Fidei Catholicis, Summo Pontifici obedientiam promittere, & si quid aliud Sanctissimus ad pleniorum fidei probationem imperaverit; non existimo Pontificem difficilem fore in gratulando, quòd ad *saniores doctrinam* conversus sit; & gratulari deberent etiam omnes opinionibus Molinianis dissentientes; quia à Doctrina hæretica ad saniores, nempe ad Ecclesiam non prohibitam, sed inter probabiles toleratam transierit: ita Moliniani vicissim, qui à Thomistis recentioribus, salvâ pace, recedunt, si quis tamen Calvinismo, vel Lutheranismò renuntians, se in eorum scholam recipiat, gratulabuntur ei ad saniores doctrinam transitum. Saniores scilicet sunt 5. Articuli, quàm 5. Propositiones Jansenii, quibus Theologi isti ante adhaerant; Ad *Saniores*, itaque, *doctrinam inducti* fuerint Jansenistæ, si, ut plenam Pontificis contra quinque propositiones Constitutionibus obedientiam professi sunt, eam animo servarint, & Articulos in Thomistarum, non Jansenii sensu amplexi sint.

Trascitur Quesnellus, quoties articulos vocari audit ambiguos, quos ipse clarissimos, & non nisi unius sensus Thomistici haberi vult capaces. *Explicationis Apologetica pag. 71.* ait: *Intolerabilis quorundam, qui se Theologos dicunt, temeritas est, articulos istos appellare obscuros, ad fraudem compositos, & suspectos de Jansenismo*. Sed Quesnello omnia, quæ vult, statim clarissima sunt; alia, plusquam cimeriis tenebris obsita. Quinque Propositiones ex Jansenio excerptæ, Quesnello, & Jansenistis omnibus maxime æquivocæ sunt. Decretum Alexandri VIII. contra Jansenistarum Propositiones triginta & unam Quesnello in *Epistola Abbatis ad Prelatum*, & Arnaldo in *9. parte difficultatum*, laborat obscuritate continuâ, atque ita perniciosum Ecclesiæ est: obscurissima est CLEMENTIS XI. contra Propositiones Quesnelli centum & unam Constitutio, necessariò egens explicationibus; quæ nisi Quesnelli sensum utique à damnatione liberent, admitti illa non poterit; sed tan-